














ORATIO ACADEMICA
DE VERA NOBILITATE: HABITA
A IO. COTTVNIO
IN ACADEMIA RICOVRATORVM

AD

ILLVSTRISSIMVM

ET EXCELLENTISS.

ALOYSIVM

VALARESSVM.

Equitem, & Senatorem Venetum, Optimum, amplissimumque.



Patauii, Ex Typographia Pauli Frambotti. M.DC.XXXVIII.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMO,
ET EXCELLENTISS. D
D ALOYSIO
VALARESSO,
EQVITI, ET SENATORI VENETO,

optimo, amplissimoque
Domino, & Patrono
enixè colendo,

Summam, ac Perpetuam F. P.



Emo vspiam est, Illustrissime, & Excellentiss. Heros, qui natalium splendorem, Nobilitatem, non suspiciat: at verò in quonam ea syncerè sita, & reposita est, pauci porrò, & vt ille ait, vel duo, vel nemo, vix norunt. Hinc de ea, quemadmodum de præclara quaque, & non obuia re fieri amat, vehementer in omni ætate controuersum est, & totis etiam voluminibus disceptatum. De hac ipsa mihi anteactis diebus, dextro quodam sydere edisserere contigit. Rem integram, quamquam paucis, & stylo, & genio Academico, sed solidè quoad potui, complecti visum est, eo præsertim consilio, vt Veneta Nobilitas, quæ cunctarum vbiuis gentium merito atque optimo iure maxima est, longè conspicacius in conspectu omnium refulgesceret.

Nobile hoc argumentum inclyti ac nobilissimi tui nominis titulis insignitum in publicum prodire gestit, vt vel ipsa fron

te lectissimum absolutæ Nobilitatis exemplum, Venetæ Claritudinis antistitem, quasi adstipulatorem, assertoremque sui præferat. Verumenimuero auita tua signa atque insignia inter maxima Veneti firmamenti sydera, interque luminaria ipsa apprimè consulgent. At verò alieno duntaxat decore haud contentus splendescere, quòd alta cogitatione sensatum illud reuoluis,

Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco,

Acceptam a maioribus lucem incomparabilium virtutum tuarum splendoribus mirum in modum amplificasti, atque illibata tua luce, virtutem etiam ipsam multis iam partibus effecisti venerabiliorem; quæ in excelso sita faciem solet accipere augustiorem. Quippe cui vnquam, non apud nos modo, sed apud exteras quoque ac remotissimas nationes, admirandæ tuæ virtutes perspectæ, probatæque non sunt? Omnes quicumque te norunt, (quis autem non nouit?) certatim efferunt admirabilem tuam in rebus gerendis prudentiam in tractandis grauissimis Æternæ Reipubl. negotiis dexteritatem, in prouidendis diligentiam, in conficiendis celeritatem, in flectendis animis efficaciam, in congressu camitatem erga vniuersum litteratorum cœtum incredibilem ac pæne diuinam humanitatem; vt merito tuo æui nostri Mæcenas habearis munificentissimus. Nos, nos ipsi experti, dum & actionem meam Patauii condecorare, & me ipsum munificentissimè excipere dedignatus haud sis; quæ hic lubens efferrem, ni mihi moderatio tua stylum comprimeret.

Accipe igitur, Heros Illustrissime, & Excellentissime, magnæ erga Celsitudinem tuam obseruantiæ meæ, exiguum hoc litterarium monimentum, atque hilari, qua soles, respice

vultu

vultu, dum ego ex intimo animi recessu Deum, Opt. Max. deprecor, ut te incolumem, sospitemque quamdiutissimè & seruet, & tueatur.

Vale Æternæ Reipubl. lumen, ac columen, & Musarum præsidiumque, decusque.

Patauii V. Calend. Maii. A.P.V. M.DC.XXXVIII.


Illustriss. & Excellentiss. Celsitud. tuæ.

Obseruantissimus

Ioannes Cottunius.

ORATIO
ACADEMICA.
DE VERA NOBILITATE.

a Plutar. de defe. oracul. Varro. lib. 3. de ling. latin. M. Tull. 2. de diuin. *b* Diod Sicul. li. 16. strabo lib. 9. Alex. ab. Alex. lib. 6. Dier. Gen. c. 2. *c* Plutarch in vita Alex.

ERRARVM ille *a* vmbilicus, Pythiæ antrum, quod olim incredibili cultu, ac famæ celebritate Orbem compleuit vniuersum, non assiduò, sed per interualla perhibetur responsa dedisse; nonnunquam *b* Idibus, aliquádo Calendis nunc Sole exoriente, nunc desinente; quòd per id tempus ex intimo illius hiatu, acri quodam spiritu, & fatidico flatu manante, Phœbas in tripode collocata, quasi diuino afflatu quateretur. Hinc magnus ille Macedo *c* cum aliquando oraculum consulturus Delphos adiisset, atque tum forte nefasti agerentur dies, in quibus nefari quidem illi mos erat oraculo, primùm ipsam vatem reluctantem, seque lege tuentem orauit, mox inuitam trahens, templum ascendit, quæ studio, ac vi hominis victa, exclamasse fertur ἀνίκητος εἶς τέκνον, inuictus es fili.

d Insigne Academiæ Ricourato-rum.

Nobile inclytæ vestræ Academiæ *d* ANTRVM, Illustriss. Acad. BIPATENS ANIMIS ASYLVM, statis téporibus, non sine cælesti psephismate, sua oracula fundit, quemadmodum in præsens recolit intermissa. Sentit nunc quoque eximium ac pęnè diuinum halitum atque afflatum, non ex imo specu, verùm ex editissimo, Eminentissimoque Corneliæ domus apice iucundissimè effusum: ex qua quidem familia tanquam ex Troiano illo equo

Græ-

f Græcorum proceres, innumeri ingentium virtutum Heroes prodiere, qui admirandis ſuis virtutibus non modo litterariæ, ſed Aeternæ quoque, ac Sereniſs. Reipub. Venetæ, atque adèo Eccleſiæ vniuerſæ, etiamnùm & decori ſunt, & ornamento. Excipimus verò viuidum hunc vegetumque afflatum exoriente fulgentiſſimo Piſano Sole, optimo huius Acad Principe, ac Moderatore, qui quidem Muſarum fauus, Charitumque delicium, & viuum probitatis exemplum, incomparabili omnigenarum virtutum agmine tiaras & infulas ornat, atque exorietur nobis *d vti purpureus Sol.* Hic me, neſeſtis mihi diebus, ob grauiſsima Philoſophiæ ſtudia, Magni inſtar Alexandri, at non, vi ſed blanda, qua mirificè pollet, comitate, ad hoc ſuggeſtum, vnde anteactis temporibus tot præclarorum vatum effata delata ſunt, ſuauiter traxit; vt in rem accomodatè cadere videantur venuſta illa Burdegalenſis *g* Poetæ carmina de Theodoſio Auguſto, modo nomen immutem.

f Virgl. Aen. lib. 2.

d Lucret lib 2 de reb. natural.

g Auſon. in epigr. ad Theodoſ. Imper.

Dicere Piſanus iubet, & mea carmina poſcit,
Pæne rogans, blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Piſanus iuſſit: habebo.
Cur me poſſe negem, poſſe quod ipſe putat?
Inualidas vires ipſe excitat, & iuuat idem
Qui iubet. Obſequium ſufficit eſſe meum.

Hauſto itaque hoc benigno afflatu, canam, & inclytæ huic Academiæ, & Patauio vniuerſo. Iam animus illo agitante caleſcit, iam vires vltra ſortemque aſſurgit: iam haud *patiens h immanis in antro bacchatur: iam ſublimior.*

h Virgil. Aeneid. lib. 6.

k in eod. lib. 6.

maiorque k videtur,

Nec mortale sonans afflatus numine quando

Iam propiore. Iam responsa fundit.

Εὐγενὶς ἄκρον ἄωτον, ὑπαὶ μέγα σεῖο μεγίστῳ

Σπλᾶδε, καὶ ἡμέτερος δ' ὤρπηξ ἐπὶ κραταλείξει.

l Alex. ab Alex. lib. 6. Dier. Gen. c. 2

Quæquidem, etsi *l* quondam nullum oraculum ederetur latinè, nihilominis latinis auribus ita sonant.

Nobilitas tua flos rerum sub maxima magna.

Iunge opus, & frondes nostri tua tempora lambent.

Vos animum aduertite: ego Augurum, aut ædipi subibo vices, atque vbi delatum responsum interpretatus fuero, Harpocratem imitabor.

Εὐγενὶς ἄκρον ἄωτον. *Nobilitas flos rerum est.*

Nemo vspiam est, nisi aut impensè fatuus, aut imis præcordiis liuidus, qui non generis claritudinem ac nobilitatem, præcipuum rerum humanarum ornamentum, splendorem, & illibatum florem suspiciat. Olfecit hunc eximius Naturæ arbiter Stagirites, dum fælicitatis partes commemorans, ab hac natalium luce exorsus, hunc in modum exspaciatur. Fælicitatis *m* partes sunt, nobilitas, gratia, amicitia proborum hominum, diuitiæ, bona proles, multitudo filiorum, facilis senectus. Præterea corporis virtutes, bona valetudo, pulchritudo, vires, magnitudo, certandi robur, quin etiam gloria, honor, prospera fortuna, virtus, atque eius partes, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia. Videtis, quàm multiformem, quamque generosum beatitatis agmen, quasi egregius & animosus signifer atque dux nobilitas ducit? Delibauit, hunc ipsum florem Plato, dum constitutis *n* in vniuersum septem hominum ordinibus, qui alios imperio

m Arist. lib. 1. Rhetor. cap. 23.

n Plato lib. 3. de leg.

rege-

regerent, post parentes, quibus regendi apicem merito atque optimo iure, ascripsit, actutum annectit nobiles. Imperium, inquit, omne, est parentum in liberos, clarorum nobiliumque virorum in eos, qui loco ignobili, & genere inferiore procreati sint, senum in iuniores, dominorum in seruos, præpotentum in imbecilles, prudentum in rudes, & denique sorte electorum in repulsos. Quia βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων, ἀυγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. Consentaneum est, viros meliores, præstantioresque eos esse, qui e præstantioribus orti sunt: nobilitas quippe generis virtus est, inquit *p* Arist. antegresso loco a me inductus: & rationem reddidit in eo libro, quem *r* de Nobilitate ediderat. ἡ γὰρ ἀρχὴ τοιαύτην ἔχει τὴν δύναμιν, πολλὰ παρασκευάζειν οἵα περ αὐτή. Origo eam vim nacta est, vt complura eiusmodi præparet, cuiusmodi ipsa est. Huc spectat Euripides *ſ* in Hecuba, cuius elegantissimos versus haud possum, quin ascribam.

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι, κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
τῆς ἀυγενείας τοὔνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Vehemens nota, & insignis inter mortales,
A bonis natum esse, & magis magisque illustratur
Nobilitatis nomen, fortibus, & dignis.

Hinc in contexendis laudum, encomiorumque corollis ab illibato hoc flore initia expedimus. Plato, ἀγαθοὶ, inquit, *t* ἐγένοντο, διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν, τὴν ἀυγένειαν οὖν πρῶτον ἐγκωμιάσωμεν· Boni quidem fuerunt, quoniam ex bonis orti sunt: generis itaque præstantiam primùm laudibus efferamus:

p Arist. lib. 3. Pol. c. 8. & lib. 1. cap. 4.
r Apud Stobeū serm 86
ſ Eurip. i Hecub.

Et

x Claud de laud. Serenæ.

Et Claudianus x

Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ,
Quis venerabilior sanguis, quæ maior origo? &c.

Isthuc in re fuit, cur prudentissimi quique Vrbium, Legumque institutores in id sedulo incubuerint, vt cætum virorum nobilium ab reliquo populo discriminarent. Theseus a εὐπατρίδας a populo, Romulus b Senatorium ordinem, a plebeio, Ipse ingeniorum apex Aristoteles c ciuitatem, prima partitione in nobiles, & populum segregauit.

a Plutar. in vita Thes.
b Dionysius Halic. lib 2
c Arist. lib 4. Pol. c. 4.

Quæ quidem discernendi ratio tam altè in generosis pectoribus deinde insedit, vt eam externis quoque notis, habitu, ornatuue indicare vbiuis gentium mos increbuerit. Athenienses, qui veteri ac illustri gestirent familia, d cicadas ex auro in pileis gestauerunt, vnde Thucydidæ f τεττιγοφόροι hoc est Cicadigeri dicti: iidem, g & præsertim florente ætate, in auribus aurum nobilitatis insigne tulerunt.

d Pierius Valer. Hierog. lib. 26.
f Thuc. in liminari pa.
g Apul. de Dogmat. Pl.

Lacedæmonii h verò, atque adeò Græci propè vniuersi, qui alios natalium splendore, & generis claritudine anteirent, comam aluerunt, serui autem, humiles, atque e medio petiti homines, intimè tondebantur. Aristophanes in k Auibus,

h Plut. in vita Solonis.
k Aristophanes in Comœdia Aues

Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις.

At dein seruus cum sis, portas comam.

Quo quidem spectans doctrinarum pater Homerus m Græcos vocat καρηκομόωντας ἀχαιούς capite crinitos idest nobiles.

m Iliud.

Romanos verò, quibus maiorum imagines, & natalium

lium decus ſuppeterent, lunulæ *n* nigris calceis affixæ a reliquo populo ſegregauerunt. Quod Numa Pompilius inſtituiſſe fertur, ſiue vt Romanæ gentis antiquitatem ad Arcades referret, qui ſe προσελήνους, *aſtris p Lunaque priores iactabant*; ſeu potius vt a centum illis Senatoribus ab Vrbis auctore Romulo diſpoſitis, ſanguinem trahere indicaret. Hinc *r* ille.

& nobilis, & generoſus,
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Et argutus *ſ* Poeta

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Tum Statius *t*

Genitum te curia ſenſit,
Primaque Patritia clauſit veſtigia Luna.

Iiſdem nobilitatis index erat *x* Bulla aurea, cordis figuram præſeferens, in pectore geſtata, quemadmodum lorum erat Plebeiorum. Hinc Satyrographus, cum de illa, quam Hetruſcum aurum vocat, quòd ab Hetruſcis a Tullio Hoſtillio debellatis translata fuerit, dixiſſet,

Quis enim tam nudus vt illum
Bis ferat, Hetruſcum puero ſi contigit aurum?

Subiungit,

Vel nodus tantum, aut ſignum de paupere loro.

Diſcernebat etiam purpura, qua Patritios *a* tantum ac Senatores vti fas erat. *b* Martialis

Te, inquit, *Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia veſtit.*
Vis tu purpureum, Marce, ſagatus amem?

His ipſis ius extitit annulorum aureorum, quoquidem integris temporibus *c* ceu quadam teſſera equites a plebe

n Plut. in Problem. c. 79. Cælius Rhodig. lib. 20. c 28. Io. Roſin. lib. 5. c. 36.
p Ouid. faſt. l. 1.
r Iuuen. ſatyr 7.
ſ Mart. l. 1. epig 17.
t Statius Syluarũ lib. 5.
x Plut. in Prob. c. 101. Mac lib 1. Satur. c. 6. Plin lib. 33. c. 1. Iuuenal. ſatyr. 5.
a App l 2. bel ci ui. Alex. ab Alex: l 2. Dier Gen. c. 29.
b Mar. l 6 ep. 11.
c App. l. 2. bell.

ciu. Io. Rof l. 2. Alex. ab Alex. lib 2. c. 29.

be secernebantur, quamquam rebus retro sublapsis, vtrorumque vsus collapsus commemoretur. Hinc ille de Crispino homine humili, & obscuro loco procreato, conqueritur.

d Iuuen. satyr. 1.

Cum d pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi,
Crispinus tyrios humero reuocante lacernas,
Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum.

Quid vero? ne nomine eos, nisi cum discrimine referri fas erat: siquidem Romanorum insignioribus, & claro sanguine cretis, tria circumferebantur nomina, cęteris duo tantum. Quod eo carmine extulit f Ausonius.

f Auson. in Griph ternarij numeri.

Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.

Et Iuuenalis *g si quid tentaueris vnquam*
Hiscere, tanquam habeas tria nomina &c.

g Iuuen. satyr. 5.
h Hor. l. 2. serm. satyr. 5.

Quò spictat etiam *h* Venusinus Poeta,
Quinte puta, aut Publi, (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.

k Corn. Tacit. l. de mor. Germ.

At verò per exteras quoque nationes; si lubet, cogitatione expatiemini. Apud Germanos *k* qui veteri familia, ac maiorum insignibus præstarent, non fluente veste, sed stricta, & singulos artus exprimente vtebantur: cæteri verò sagis cum fibula. Quod etiam Sarmatæ, & Parthi vsurpauere. Apud Indos *m* byssum induere, nisi natalibus clarus, nemo poterat. Apud Parthos *n* ac Persas, equo vehi, aut pedes ire, nobilitatem a vulgo secreuit. Apud Sueuos *p* quibus parentes præclari, insignesque extitissent, ij obliquabant crinem, & nodo substringebant, reliqui verò fluxa coma, & passis crinibus incedebant. Apud Ægyptios *r* prolixa coma claritatem nascendi designauit. Thracibus

m Philostrat. in vita Apoll. l. 2. c. 9.
n Iustin. Hi. l 41 strabo. l. 15.
p Corn Tac. l de mor. ger.
r Luc. in Nigrino

spun-

ſ punctos eſſe in facie nobiles ſignificabat, non punctos ignobiles. Gelones, & Agathirſi *t* ora artuſque cæruleo pingebant, vt quique in maioribus præſtarent, ita magis vel minus pingerentur, non pingi autem humilem, infimoque loco genitum deſignauit. iccircò Latinus poeta vtroſque pictos appellauit.

ſ Herod. lib. 5.
t Pomp. Mela l. 2. & ſolen. lib. 2.

Eoaſque x domos Arabum, pictoſque Gelones.

x Virgil. lib. 1. Georg.

Tum etiam. *a*

Creteſque Driopeſque fremunt, pictique Agathirſi,

a Idem Aeneid. lib. 4.

Sic aliis gentibus diſcrimen *b* aliquod in habitu, ornatu, aliiſue rebus ſemper extitiſſe nouimus, quibus genere ac nobilitate præſtantes ab reliqua vulgi parte diſcriminarentur: quia; vt Ariſtoteles *c* loquitur ἡ δ᾽ εὐγένεια παρ᾽ ἑκά-στοις οἴκοι τίμιος, Nobilitas apud omnes domi in honore habetur. quòd aliis excellere ac præſtare, pulchrum. Quæquidem præſtandi cupido ſunt quos tam inſigniter inuaſit, vt ſe, maioreſque ſuos, quo altiora ſuæ claritudinis ac nobilitatis iacerent fundamenta, Diis, Deabuſque genitos, procreatoſque aſſeuerarent: quod nemo apud Homerum, Virgilium, cæteroſque poetas non animaduertit. Equidem vnum, vel alterum locum ſubiicio. Achilles apud Homerum *d*

b Alex. ab Alex. l. 5. c. 18.
c Ariſt. lib. 3. Pol. c. 13

Αὐτὰρ ἐγὼ γενεὴν μεγάλου διὸς εὔχομαι εἶναι,
Τίκτε μ᾽ ἀνὴρ πολλοῖσιν ἀνάσσων μυρμιδόνεσσι
Πηλεὺς αἰακίδης, ὁ δ᾽ ἄρ αἰακὸς ἐκ διὸς ἦεν.

d Hom. Iliad. lib. 21.

At ego generatione magni Iouis glorior eſſe.
Genuit me vir multis imperans Myrmidonibus
Peleus Æacides: Hic autem Æacus ex Ioue erat.

Æneas, *e* *Quid*, inquit, *Theſea magnum*,
Quid memorem Alcidem? & mi genus ab Ioue ſummo.

e Virg. Aeneid. lib. 6.

Aiax

b Ouid. lib. 13. Metam. Aiax Nasonianis *b* versibus hunc se effert in modum

Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem Telamone creatus.
Mænia qui forti Troiana sub Hercule cepit,
Littoraque intrauit Pegasæa Colcha carina,
Æacus huic pater est, qui iura silentibus illic
Reddit, vbi Aeolidem saxum graue sisyphon vrget:
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Iuppiter esse suam. Sic a Ioue tertius Aiax,

Subiungit ibidem Vlysses,

In eodẽ loco.

sedenim quia rettulit Aiax
Esse Iouis pronepos: nostri quoque sanguinis auctor
Iuppiter est: totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater est: Arcesius illi,
Iuppiter huic.

Rectè igitur in responso delato dictum fuit, ἀγένης ἄχρου ἄωτον. *Nobilitas Flos rerum est.* At at,

Vnde nam hic adeo suaeolens flosculus,
Nobilitas decerpatur,

Summa doctissimorum hominum dissensione certatur: & quemadmodum olim

Antholo gia Græca,

Επτὰ πόλεις μάρναντο σοφὴν περὶ ῥίζαν ὁμήρου.

Septem Vrbes certant sapientem propter Homeri Radicem,

Sic in præsens septem hortuli, longè, quàm Pensiles illi, aut Alcinoi, præstantiores, de eo contendunt. Diuitiæ, Virtus, Doctrina, Militia, Princeps, Patria, & Genus.

Plurima mortalium pars auri argentique fulgore perculsa, omnem generis ac nobilitatis splendorem opibus, absque vllo vnquam discrimine adscripsere.

Eu-

Euripides *k* in Aeolo, *k* Eurip. in Trag. Aeolus. Act. 2.

Τὴν δ' εὐγένειαν, πρὸς θεῶν, μήμοι λέγε.
Ἐν χρήμασι τόδ' ἐστί.

Nobilitatem, quæso te, ne mihi referas:
Hoc in pecuniis situm est.

Idem *m* in Erechtheo, *m* Idem in Trag. Erecthe-ses.

Ἔχειν δὲ πειρῶ. τοῦτο γάρ τοτ' εὐγενὲς,
Καὶ τοὺς γάμους δίδωσι τοὺς πρώτους ἔχειν.

Habere quidem tenta. Hoc est nobilitatem,
Donat, & nuptiis primariis potiri.

Huc spectauit Venusinus *n* olor, dum canit. *n* Horat. lib 2. serm. Satyr. 3

Omnis enim res,
Virtus, forma, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Ecquicquid volet, hoc veluti virtute paratum,
Sperauit magnæ laudi fore.

Et alio loco *p* *p* Idem Horat.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque, & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.

Hinc appellatione pecuniæ, res omnes contineri viri docti scriptum *r* testatumque prodidere. Et diues, si Varroni credimus, a diuo dictus est, quòd is peræque atque Dii nihil indigere videatur. Quid verò? vaticinatur *f* ille, *r* In l. pecun. de verb. sign. *f* Balbus poeta.

Aurum quisquis habet, superos mercatur, & astra:
Captiuosque tenet sub dictione Deos.

Prodit altero loco Virtus, acriori hominum suffragio fulta, quæ quidem vel opibus consociata, vel etiam sola, gestit esse nobilitas. Theodectes, vt auctor est *t* Aristoteles, *t* Arist. lib. 1. Pol. c. 6.

teles, nullo alio, quàm virtute, & vitio nobiles, & ignobiles definiuit, quòd virtute qui maximè excellit, is cùm ſibi, tum poſteris claritatem, & nominis amplitudinem parit. Virtutis eſt, *x* inquit ille, comparare quæ bona ſunt, eaque ipſa tueri. Virtus primum gradum honorum obtinet, virtus *a* premium eſt optimum, virtus omnibus rebus anteit, virtus in ſe omnia habet, omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus, Hem ſatius eſt *b* rebus proſperè geſtis florere, quàm maiorum opinione niti: & pulchrius nobilem virtute fieri, quàm naſci. Naſci, & *c* generari ab illuſtri ac ſublimi ſtirpe fortuitum; illuſtrem verò ac ſublimem fieri animi eſt ſcelſi.

x Ariſt. l. 1. Rtet. c 6.
a Plaut. in Amp.
b M. Tull in orat. ad ſall.
c Corn. Tac. lib.

Non facit nobilem, inquit ſtoicorum pater Seneca, *d* atrium plenum fumoſis imaginibus, animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. Porrò Nobilitas honores: *e* Honos autem Virtutis eſt præmium. Hinc Plato *e* Nobilitate in quatuor veluti ſpecies diſtributa, eam exteris ſplendidè prætulit, quam quiſpiam virtute, animique magnitudine ſibi pepererit. Eos, inquit, qui honeſtis, bonis, iuſtiſq; maioribus nati fuerint, nobiles vocamus: Item, quorum parentes potentia præditi, & primates fueriut: Præterea, quorum maiores fama, & opinione extiterint celebres, ſiue ex bellicis rebus præclarè geſtis, ſiue ex certaminum coronis: ex his enim procreatos, nobiles appellamus: Poſtremò, cum quiſpiam per ſe ipſe generoſus eſt, & animi magnitudine excellit, hunc nobilem dicimus: Et iſta eſt omnium optima. Commendatur, & illud *f* carmen.

d Senec. epiſt. 44.
e Lucret. in eies vi ta.
f refer. Tiraq. de nobil. c. 14.

No-

Nobilitas morum plus prodeſt, quàm genitorum:
Nobilitas etenim ſola eſt, quæ moribus ornat

Cui accinit Iuuenalis, *h*

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus. *h* Iuuen. ſatyr. 8.

In quàm quidem ſententiam circumfertur hoc quoque carmen.

Si pater eſt Adam cunctis, ſi mater & Eua,
Cur ne ſumus cuncti nobilitate pares?
Degenerant homines vitijs, fiunque minores,
Exaltat Virtus, nobilitatque genus.

Hæc abundè videntur effirere, vt vera nominis claritas ac nobilitas conſtituenda ſit ſola Virtus.

Inſequitur Doctrina, ac ſcientia, quæ haud minori merito genus, & nominis celebritatem parere videtur: iccircò quibus in bonarum artium ſtudijs fortuna fæliciter peracta eſt, ij nobiles, *k* præclari, inſigneſque appellitantur: nec defuerunt qui Nobilitatem ſcientiæ filiam nuncuparint. Seneca *m* Neronem his omninò alloquitur. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui quàm ſtudia, vt ſic dixerim, in vmbra educata? e quibus claritudo venit: claritudo autem idem quod Nobilitas pollet. Et Horatius, poſtquam conſtituerat, fortes creari fortibus, & bonis, annectit,

k Iur. cõſull. apud Tiraq. de Nobil. c. 5.
m Corn. Tac. lib. 14. Ann.

Doctrina *n* *ſed vim promouet inſitam:*
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

n Horat. lib. 4. Carm. Od. 4.

Huc ſe agit etiam militia, & obſtrepente armorum fulgore, illuſtres ac nobiles effici ſui cultores depugnat

p Saluſt. de bello Iugurth.

obtrudit identidem illud Saluſtij *p* ſic ſe quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpiciendum tale facinus facere, properabat: eas diuitias, eamque bonam famam, magnam nobilitatem putabant.

r Bald. Bart. Tiraqu. ca. 6. de Nobil.

ſ Budęus in ann. Pandect

t Laur. Valla libro 6. Eleg. c. 22.

Principem quoque *r* pro arbitratu ſuo, quemcunque voluerit, ex ignoto atque obſcuro, clarum, ac nobilem reddere, & natalium *ſ* reſtitutionem dare, grauiſſimorum hominum auctoritas aſtruit: Argumento ſunt, qui *t* Decuriones, aut equites aurati vocantur. Patria demum plurimum hic affert ſplendoris.

Quid de dictis bonis ſentiendum ſit.

Verùm, vt quod ſentio ingenuè proferam, præfata bona, atque adeò nomina, & ſplendor ex iis parta, quemadmodum magni pendenda exiſtimo, præcipuoque honorum gradu afficienda; & ſi lubet, noua etiam & recens quædam claritas, & nobilitatis ſpecies appellanda, ſic nullus conceſſerim, quicquam illorum veram ac germanam, quam hic venamur, eſſe nobilitatem. Quam iam in lucem efferre oratione accingor.

Vera nobilitas vnde hauriatur.

a Ariſt. libro 1. Rhetor. cap. 24.

Germana ac ſyncera Nobilitas, alia quidem *a* gentis, ac ciuitatis, alia verò priuata, vnius cuiuſpiam familiæ enitet. Illa eſt, ſi homines αὐτόχθονες indigenæ fuerint, quemadmodum Athenienſes, & Arcades iactitabant, aut vetuſtam habuerint originem. De illis Tullius *b* hæc ſcribit, Athenienſium ciuitas vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſe ſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix, & patria dicatur. De his autem hunc in modum Ouid. *c*

b M. Tullius orat. pro flacco.

c Ouid. lib. 1. fasto.

Orta prior Luna, (de ſe ſi creditur illi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Et

Et alio *d* loco

Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & Luna, gens prior illa fuit.

d Lib. 2. eiusdem Operis.

Porrò vetustas sola haud solidum claritudinis argumentum censetur, alioquin complura humilia atque perobscura oppida, vtpote aliqua temporum intercapedine priora, multis inclytis Vrbibus nobilitate præstarent: verùm extitisse in ea gente, ac ciuitate oportet primos ἡγεμόνας ductores præstantes, tum continuata quadam annorum serie præclaros duces, aliosue haud obscuri nominis ac celebritatis viros illuxisse. Hinc Maro, de Didone, *e* & ipsius gente ita canit,

e Virgil. lib. 1. Aeneid.

Medijsque parant conuiuia tectis
Arte laborata vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis.

Priuatus autem claritudinis splendor, ac nobilitas, fusè libereque effertur ab Arist. in libris *d* Rhetoricorum, quod nobiles censendi sunt, si claris, ac nobilibus parentibus, aut viris, aut fæminis orti fuerint, si legitimis nuptiis procreati, si primi illorum progenitores, aut virtute, aut opibus, aut bonis illis, quæ apud homines in precio habentur, clari, illustresque extiterint, si denique ex ea gente, atque familia præstantes multi atque spectabiles, & viri, & mulieres, & iuuenes, & senes prodierint.

d Arist. lib. 1. Rhetor. cap. 24.

Præstat verò rem cominus expendere. Primùm verus nobilitatis flos ab vtroque parente decerpitur.

Iccircò Tullius, *f* generis humilitatem Pisoni obiiciens, O paterni, inquit, generis oblite, materni vix me-

f M. Tullius orat. in Pisonem.

mor. Ita neſcio quid iſthuc fractum, humile, demiſſum, ſordidum, inferius etiam eſt, quàm vt Mediolanenſi præcone auo tuo dignum eſſe videatur. Contra verò Horatius *g* ab vtroq; parente commendat Mæcenatem.

g Horat. lib 1. Serm. Satyr. 6.

Non quia Mæcenas Lydorum quicquid Hetruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te:
Nec quòd auus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint &c.

Et Ouidius *h* de Euandro,

h Ouid. lib. 1. Faſt.

Hinc fuit Euander, qui quanquam clarus vtroque,
Nobilior ſacræ ſanguine matris erat.

Helena apud Theodectem *k* ſic loquitur,

k refert Ariſt. l. 1 Polit. cap. 6.

Θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἔκγονον ῥιζομάτων
τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειε λάτριν;

Ex Diuis ab vtraque ſtirpe prognatam
Quiſpiam appellare voluerit ſeruam?

Quippè quemadmodum ad procreandos eximios, & nobiles fructus, haud ſatis eſt idonea viuidaque Solis, cæterorumq; corporum cæleſtium actio, ſed vbertas etiam & bonitas ſoli requiritur, ſic ad claram, & illuſtrem progignendam ſobolem, æquè maris agentis, atque perpetientis fæminæ integra vis, & virtus exigitur: Et ſi alterum horum defecerit, diminuta, ac penè mutila prodit nobilitas.

Debent præterea ex parentibus iuſtè *m* ac legitimè iunctis procreari. Ob id, nothi ab illuſtrium, ac nobilium cenſu & albo iure merito eliminantur: vt Athenis *n* haberetur locus, Cynoſarges dictus, in quo nothi ſeorſim ab ingenuis ſeſe exercerent: vſqueadeò illorum etiam conſuetudine nobilitatem contaminari crediderant.

m Ariſt. lib. 1. Rhetor. cap. 24.
n Plutar. in vita Solonis.

Fe-

Ferunt nimirum *p* nothi perpetuam quandam a parentibus ſibi inuſtam intemperantiæ notam. Quæ quidem exinde exiſtimatur emergere, quòd parentes claritudinē ſui generis proli impertiunt, qua ſunt virtute affecti, & ex recto eius tramite operantur. Qui verò vetitas voluptates ſectatur, is à virtute longè aberrat, legum repagula perfringit, ſeque, ac ſuas actiones terra vitiorum caligine, ſordibuſque inuoluta. *p* Tiraquellus li. de nobil c. 15.

At iam ipſum illibatum excipite florem. Eſt itaq; vera claritudo, ac nobilitas, antiqua virtus, & diuitiæ antiquæ, longa annorum ſerie continuata ſucceſſione in poſteros veluti per manus traducta. ἡ γὰρ εὐγένεια inquit, Ariſt. *r* in Politicis, vbi rem accuratiori trutina penſitat, ἐστὶν ἀρχαῖος πλοῦτος, καὶ ἀρετή. Nobilitas eſt antiqua opulentia, & virtus. Tum *ſ* εὐγενεῖς εἶναι δοκοῦσιν, οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ, καὶ πλοῦτος. Nobiles ij eſſe videntur, quibus adeſt progenitorum virtus, & diuitiæ. Quod in libro etiam de Nobilitate *t* repoſuit. cum talis, inquit, quiſpiam, & ita generoſus in aliquo genere fuerit, vt bonum ab eo profectum, in multas ætates duret, hoc certè genus nobile & laude dignum eſſe neceſſe eſt.

r Ariſt. lib. 4. Polit. cap. 8.
ſ Idem lib. 5. eiuſdem operis cap. 1.
t Apud Stobæū Serm. 84

Verum itaque claritudinis ac nobilitatis florem, ex maiorum noſtrorum tantùm hortulo, virtute, & rebus præclarè heroiceque geſtis conſito, & diuturna ſucceſſione generosè exculto decerpimus ac delibamus; quod in cauſa eſt, cur ea ἀρετὴ γένους virtus *x* generis appelletur. Quo fit, vt qui ſuis duntaxat rebus geſtis præfulget, ſua, fac etiam patris, virtute enitet, ſpiret, ſi vis, etiam Cræſſos, & Darios, eum ego in hoc nobilitatis ſacrarium nullus admiſerim. Dederim illi plena manu incipientem,

x Ariſt. lib. 3. Polit. cap. 8.

aut

a Fald. apud Tiraquell. lib. de Nobilit. cap. 19.
b Arist. lib. 7. Ethic. cap. 10

a aut crescentem nobilitatem: at verò perfectam, omnibusque absolutam numeris, nullus dederim. Et quemadmodum vna, aut altera actio a virtute profecta non *b* absoluit hominis fælicitatem, quòd neque vna hirundo, aut vnus flos ver facit, sic vnus, aut alter virtutis grado, aut vnus flos ver facit, sic vnus, aut alter virtutis gradus haudquaquam efficit hominem verè nobilem.

Antiquus hic & venerabilis in familia splendor existit qui præcipuè a virtute exortus, & longo temporis intersticio per plures personas micans, quasi illius familiæ hæreditarius redditus est, vnde præclara & eximia quædam lux in posteros explicatur, a qua verè nobiles nuncupantur. Hinc nos nobilitatem εὐγένειαν, quasi bonum genus, & nobilem εὐγενῆ, hoc est ex bono genere ortum appellamus.

c Arist. lib. de Nobilit. apud Stob. Serm. 84
d Salust. de bell. Iugurth.
g Arist lib. 2. Rethór.
f Plato in Menexeno.

Hic generosa quædam *c* ac latentia virtutum semina natis indit, præclaros spiritus ad honesti, rectique amorem impertitur, vim quandam ac præstantiam naturalem, qua supra cæteros assurgunt, elargitur, acre denique ad honores, & gloriam calcar inijcit, vt quoties maiorum imagines *d* pellustrant oculis, aut cogitatione complectuntur, ad præclara quæque facinora vehementer inflammentur: atq; omni enitantur ope, quàm a parentibus lucem *g* & gloriam acceperunt, non modo conseruare, sed qua re cunque possunt, etiam accumulare, & in posteros longè illustriorem transferre. Introspexit hoc ingeniorum apex Plato *f* dum scriptum reliquit, gloriam parentũ natis esse præclarum magnificumq; Thesaurum, quo ipsi possent benè vti, & eundem ad posteros mox transfundere. Quia videlicet Naturæ instituto apprimè consentaneum est, vt generans gignat

sibi

k Arist. in 2. de Anim. tex. 34.

ſibi ſimile, & vt Philoſophi *k* verbis vtar, efficiat aliud quale ipſum, animal quidem animal, planta autem plãtam, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται, vt eius, quod ſemper eſt, & diuinum eſt, participent, prout poſſunt. Olfecit hoc ipſum Latinorum Lyricorum princeps Horatius, *m* dum.

m Hor. lib.4. Carm. Od.4.

Fortes, inquit, *creantur fortibus, & bonis:*
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam,

n Plutar. in Apolog. nobilit.

Porrò quin adhuc venuſta ac ſenſata Plutarchi *n* verba hic exſcribam, temperare mihi haud queo, quę ſunt. Non negabo nobilitatem generis initia duxiſſe a Virtute, eadem fulciri, eiuſdem radiis illuſtrari, nihili eam fieri, moleſtè feram; quin potius digniſſimam quæ extollatur, contendam: & qui virtuti duci comitem nobilitatem poſſederit, eum iure præferri, his qui nobilitate generis deſtituuntur, profitebor. Colendus eſt, & cæteris merito atque optimo iure anteponendus, qui ex veteri & illuſtri ſtirpe procreatus, claris natalium ornamentis nitet, tum propter præteritam parentum virtutem ex cuius radice prodiit, tum quia polliceri videtur, ſe haud abſimilem ſuis florem futurum: Enitatur, vt quemadmodum nobilis natus eſt, quod benignioris naturæ officium extitit, ſic vitam generosè traducat, quod eſt optimi propoſiti: repetatque ſecum identidem illud Pindari *p* δρέπω κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν, decerpo ſummitates ex omnibus virtutibus. quia *nobilitas flos rerum eſt*.

p Pindarus in Olymp.

Quem quidem præclariſſimum & generoſum florem molliculis his verſibus affari lubuit.

Flos

Flos cunctis violis, rosisque maior.
Flos cunctis Veneris prior corollis,
Flos præclarior omnibus Iacynthis,
Flos præstantior Indicis lapillis,
Flos præfulgidior nitore Phœbi,
Te qui terrigena excipit nitorem,
Te qui nobilium refert decorem,
Regales merito tenet secures,
Mortales pedibus terit recessus,
Pulsat vertice cardines olympi,
Intrat sydereum Iouis cubile,
Diuorum dapibus comes moratur,
Dulci & nectare vescitur beatus.
O rerum decus omnium superbum,
O flos tempore iam tacende nullo.

Pergit oraculum nostrum. ὑπαὶ μέγα σῶσ μεγίστῳ *tua sub maxima magna.*

Tua nobilitas, (inclyta cohors, & generosum Patauium,) magna profectò est. Neque quisquam in tam tetra & cimeria rerum humanarum caligine obuersatur, cui non eximia Antenoreæ Vrbis lux abundè præfulserit. Verumenimuero si eius natalia spectes, bis *a* mille & septingentorum annorum tractu gestiunt venerabilia, si dignitatem atque splendorem, olim *b* inter omnes huius regionis vrbes caput extulerat, si vires, vel ipsis *e* Romanorum armis nunquam legitur victa ac subiecta, si incolas atque habitantes, *f* quingenti viri equestris ordinis censi commemorantur, senatoria dignitate permulti, consulari, & sede curuli Cecina Peto, Trasea Peto, Aruncius stella, alii: demũ litterarum cultores non modo olim, sed nunc etiam complures suo splendore orbis ter-

a Tabul. Chron. Alex. Sculteti.
b Strabo lib. 5. Geogr.
e Carol. Sigin. lib. 1. de Antic. Iur. Ital. Et Onuf. Panuin.
f Strabo lib. 5. Geog.

tarum aciem perſtringunt.

Magna hæc nobilitas eſt ὑπαὶ μεγίστῳ *ſub maxima* nobilitate Veneta. Hæc quippe merito ſuo geſtit maxima, quòd in ea omnes veræ abſolutæque nobilitatis calculi conſpirant. Patria ita vetuſtam nacta originem, vt eius ciues quaſi αὐτόχθονες indigenæ eſſe videatur. Tum antiqua virtus, antiquis quoque conſociata opibus, innumerabili, continuataque annorum ſucceſſione, eaque rigoroſa trutina examinata, in poſteros traducta, & generoſis actionibus aucta, Solis inſtar inter minora ſydera fulget. vt meritò *k* Venetæ familiæ videantur cæteris Italicis præferendæ, quæ aliorum Principum ditionibus ſunt obnoxiæ: quia aliunde pendere, ſeruitutem ſapit: ſeruitus autem veræ & abſolutę nobilitati repugnat, vel ei ſaltem qualemcunque labem offundit.

Veneta Nobilitas eſt maxima.

k Pompeius Caimus in lib. de nobilit.

σπεῦδε, *Iunge opus.*

Natalium claritudini ſtudioſarum actionum nitor iungendus eſt. Secus nobilitas, vt veteri *m* effato dicitur, in aſtragalis erit: genus ingenuum niſi cum virtute alget: ſtemmata, & fumoſæ imagines virtutis luce exutæ, degeneris animi nubem obducunt: generoſos animos labor nutrit. Hoc pacto, ἡμέτερος ὅρπηξ ἐπὶ κράατα λείξει

Frondes noſtri tua tempora lambent.

m Adagiograp.

Itaque

Vos, qui ſublimi rerum de germine florem,
Nobile cerſpiſtis genus, & decora alta parentum
Magnanimis contenditis vltra extendere factis,
Egregia totum fama complebitis Orbem,
Semper Apollinea redimiti tempora lauro.
Sic non obſcuris, dubiiſue ambagibus æquum
Reddidit oraclum: ſic mens afflata profatur.

F I N I S.